

num docet. Si vero ita celebrat die festo pro defuncto præsente cadavere, ut altero die non sit pro populo celebraturus, malet se gerit; præfert enim consilium præcepto, & justitiæ charitatem, quod omnibus ex communi doctrina æquum non esse, compertum est.

**CAS. III.** Petrus obligavit in testamento hæredem suum ad præbendas quolibet anno alicui puellæ orphanæ centum libras, ut possit nubere. Q. an possit talem pecuniam puellæ inutilem Patrem habenti præbere.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia licet puella habens Patrem inutilem nequeat toto sermonis rigore orphana appellari, adhuc tamen, cum de habente inutilem Patrem verificetur, quod careat præsidio Patris, illiusque opam desideret, sicuti de vere orphana verificatur, dicendum est, filiam habentem inutilem Patrem legato centum librarum puellæ orphanæ nubenti relicto posse quædere. Quemadmodum enim jus dans viduis privilegia eadem mulieribus inutiles viros habentibus concedit, cum parium eadem sit juris dispositio, ut ex cap. inter corporalia 2. de transl. Epis. & ex communi Doctorum mente colligitur. Ita in nostro casu loqui debemus. Hoc tamen facile non admitterem, si filia habens inutilem Patrem cum alia Patre vere carente concurreret, nisi illa esset ista pauperior, quo in casu illa adhuc eligi posset. Ita cum Amost. de causis piis L. 4. c. 7. n. 45. & seq. Barb. tr. var. axiom. 174. n. 14. Dian. t. 6. tr. 8. res. 45.

## ANNO MDCCXL. MENSE JANUARI.

**CAS. I.** Voverat Petrus in sacræ familiæ honorem tres Julios in elemosynam largiri, unum viro seni, Mulieri lactanti alteros. Agnoscens autem virum senem, qui uxorem lactantem habebat, eidem viro omnes tres Julios præbuit. Q. an voto à se emisso satisfecerit.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia nec res, quam vovens vovit, nec voventis finis, ut ad voti complementum requiritur, in casu nostro desideratur. Non primum, nam dare viro seni uxorem lactantem habenti Julios illos, quos Petrus dare voverat mulieri lactanti, perinde se habet, ac Julios eosdem mulieri ipsi præbere, cum datum viro, qui caput est mulieris, ipsi mulieri per se loquendo datum intelligatur. Et præcipue in casu nostro, in quo id, quod per se à voto respicitur, non est directa translatio domini duorum Juliorum in lactantem mulierem, bene vero ipsius mulieris sublevamen, quod per præstitum capiti familiæ subsidium ab ipso Petro obtinetur. Neque deficit secundum, nam finis à Petro vovente intentus, scilicet honor præstandus Divo Josepho in viro sene, & Deiparæ cum Puero Jesu in lactante muliere ipsius æqualiter, & forte expressus exhibetur, si lactans mulier ipsius viri senis sit uxor, quam si ipsemet viro ex-

tera censeatur, ut per se omnibus compertum est. Ita quoad substantiam cum Bonac. de voto dis. 5. q. 2. punct. 7. §. 3. num. 8. Less. L. cap. 76. dub. 16. n. 150.

**CAS. II.** Medicus, qui infirmum confessione Sacramentali conscientiam suam expiare nolentem non deseruit, quia graviter ægotantem, dubitat, an bene se gesserit. Q. dubii solutio.

Respondeo se bene gessisse. Ratio est, quia quamvis Medici præ oculo habere debeant, quam juramento servando excipiunt, S. Pii Quinti Constitutionem, ipsis interdicientem, ne ultro post tertium diem ægotum visitent, si ille renuat confiteri; hoc tamen in eo sensu est accipiendum, ut Constitutio laudata tamdiu servetur, quamdiu potest una cum charitatis præcepto, & spirituali ipsius infirmi utilitate servari. Servari autem sic nequit in casu infirmi graviter ægotantis: si enim hic nolens pro nunc confiteri à Medico deseratur, morbo magis in dies probabiliter ingravescente damnationis æternæ periculo facile exponitur, quod quam maxime charitatis præcepto, & spirituali ipsiusmet infirmi utilitati opponatur, nemo non videt. Ex adverso si Medicus talis infirmi curam non deserat, non modica fulget spes, ut idem infirmus paulatim corpore convalescens & spiritu convalescat; quod enim hodie non obtinetur, forte Deo adjuvante, mediisque piorum hominum exhortationibus obtinebitur cras. Bene itaque se gessit Medicus noster, qui Pontificiæ Constitutionis mentem, rationemve potius, quam verba respiciens, infirmum suum utpote graviter ægotantem non deseruit, quamvis conscientiam suam noluerit expiare. Et ita pro dubii solutione tenendum est cum Suar. de pœnit. disp. 35. sect. 3. n. 4. Girib. de juram. c. 3. n. 68. Bon. disp. 4. punct. 16. num. 10.

**CAS. III.** Pater quamvis dives filio summe peroptanti ad Sacros Ordines promoveri recusat constituere Patrimonium, ad cuius titulum quocumque alio deficiente ordinetur. Q. an graviter peccet.

Respondeo affirmative. Ratio asserti colligitur ex naturali pietatis lege, vi cuius sicuti tenetur Pater filiis, non habentibus unde vivant, alimenta præbere, cum juxta Apost. 2. ad Cor. 12. non debeant filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis; ita, nisi aliter Patrem justa causa suadeat, puta, si aucta filii inscitia, vel morum improbitate eum nequaquam idoneum altaris ministrum fore judicaret, tenetur Pater filio peroptanti ad Sacros Ordines promoveri, constituere Patrimonium, ad cuius titulum, quocumque alio deficiente ordinetur, cum Patrimonium ipsum alimenterum loco succedat; ratio enim naturalis, & pietas sufficienter suadent patrem nequaquam posse absque gravi culpa filios impedire, ne eum stitutum eligant, ad quem à Deo vocatos esse cognoverint. Quod evidentius ex eo apparet, quia parentes juxta proprii status conditionem ad ea media filiis præstanda tenentur, quibus per studia, aliasve exercitationes, ad sequendam futuro tempore Dei vocationem idonei fiant, ac inveniantur; quod omnino foret inutile, si postea ad eandem Dei vocationem exequentiam possent, nulla etiam concurrente rationabili causa, impediri. Ita cum Reinfest. de præcep. dec. tr. 9. q. 2. n. 19. Rosig. de ord. in communi, q. 3. art. 27. Marchin. de ord. in part. 2. c. 7. n. 4.

**CAS. I.** Joannes postquam mutuo dedit quingentos aureos Titio, duxit in uxorem Sejam ipsius Titii filiam. Cum autem nequeat aut repetere mutuam pecuniam, aut dotem de presenti obtinere, usquedum utrumque recipiat, obtinuit à Titio domum in pignus, ut interim ex eadem fructus utriusque suo credito correspondentes recipiat. Q. an licite possit prædictos fructus recipere.

Respondeo. Pro mutuata pecunia per se loquendo non posse, bene vero pro sibi debita dote. Ratio primi est, quia pactum Anticriseos, quo scilicet inter creditorem, & debitorem cautum est, ut creditor tamdiu pignore utatur, pignorisque fructus percipiat, quamdiu pecunia mutuata à debitore restituatur, juxta communem Theologorum, & Canonistarum sententiam usurarium est, ut colligitur ex tex. in c. 1. & 2. de usuris. Nisi itaque ex vi mutui contingat in casu lucrum aliquod cessans, vel damnum emergens, nequit Joannes è domo in pignus accepta fructus mutuatae pecuniae correspondentes recipere; & si quos receptos haberet, eosdem, vel in sortem computare, vel restituere teneretur. Ratio secundi est, quia per specialem juris dispositionem in c. Salubriter de usuris, statutum est, ut possit maritus ex re pro dote uxoris oppignorata fructus recipere; & hoc propter damnum, quod sentit idem maritus, sive in alenda uxore quam aliter nisi recepta dote alere non teneretur, sive in aliis matrimonii oneribus, ad quæ sustinenda dos ipsa pariter ordinatur. Ita cum Spor. de usura c. 4. sect. 3. n. 101. & seq. Less. L. 3. c. 20. n. 141. Girib. de contr. tr. 3. c. 3. n. 97. & 101.

**CAS. II.** Ruralis Sacerdos propriae matris, sororisque importunis precibus victus una cum eisdem quadam bacchanaliorum nocte choreis, in honesta tamen domo institutis, larvatus interfuit. Q. an possit à gravi culpa excusari.

Respondeo affirmative. Quamvis enim male se gesserit Sacerdos noster ex eo, quod omnibus sacrorum Altarium ministris secus agendum suadeant optime factæ sacrorum Canonum, ac Synodorum dispositiones, ut in Instructione, quam die 20. Decemb. anno 1737. hac de re edidit SS. Dominus noster Bened. XIV. pro Ecclesiae Bononiensis regimine, videre est: adhuc tamen, cum ex circumstantiis casus Sacerdos prædictus non alio fine, vel motivo, sive larvatus incesserit, sive choreis interfuerit, nisi ut morem gereret matri, ac sorori, quarum importunis precibus non valuit resistere, & ex altera parte choreæ, quibus larvatus interfuit, fuerint in honesta domo institutæ, peccare quidem potuit ex aliqua levitate, nimioque in suorum sanguinem affectu, non tamen graviter contra obedientiam, propriique status obligationes eum deliquisse, dicendum est; cum non appareat, vel scandali occasionem aliis præbuisse, vel se exposuisse periculo turpium aspectuum, atque obscenarum cogitationum, ad quod à Clericis, aliisque Altarium ministris arcendum directæ sunt supra laudatæ Ecclesiasticæ dispositiones.

**CAS. III.** Cajus, alioquin pius, vocatus ad sonos edendos in quadam domo, ubi inhonestæ instituuntur choreæ, quærit à Confessario, an possit tuta

cons-

conscientia sonos edere in dicta domo. Q. quòdnam erit Confessarii responsum.

Respondeo cum distinctione. Si Cajus sine gravi damno potest à sono in tali domo edendo abstinere, Confessarii responsum erit, Cajum non posse tuta conscientia sonos edere in dicta domo. Ratio est, quia licet, ex quo sit vir pius, pro certo ponatur numeros, sub quibus sonos emittit, non esse per se directivos chorearum inhonestarum, ipsumque in talium chorearum aspectu nullatenus turpiter delectari; adhuc tamen, cum quilibet ex charitatis lege teneatur, quantum in se est, malum proximi impedire, vi ejusdem legis tenetur se à prædicta domo retrahere, ne per sonos à se editos aliorum impudicitii cooperetur. Si vero Cajus prudenter timeat grave aliquod damnum sibi imminere, puta si gravem aliquam injuriam, aut vitæ suæ læsionem timeret, tunc Confessarii responsum erit, ipsum posse tuta conscientia sonos edere in dicta domo, cum ex una parte choreæ tantum ex aliorum malitia turpes evadant, & ex altera nemo teneatur in magno proprii damni periculo aliorum peccata ex charitatis lege impedire. Ita cum Suar. disp. 10. de ch. sect. 3. num. 1. Pal. disp. 6. pun. 10. Girib. de scand. c. 7. n. 43. & 46.

## MENSE MARTII.

**CAS. I.** Nocte diem Cinerum præcedente comedit Titius ad mediam usque noctem juxta sonitum Horologii cæteris per horæ dimidium tardioris. Q. an fregerit Quadragesimale jejunium.

Respondeo cum distinctione. Si Horologium, ad cuius pulsationem usque Titius comedit, est ex præcipuis loci, quod aliis etiam vicibus soleat attendi pro regula, utpote per se bene directum, nullo modo Titius jejunii violator dicendus est, sequens enim prædicti Horologii pulsationem prudenter, & cum morali certitudine operatus est, quia quamvis sequatur veluti opinionem unius Auctoris, adhuc illa opinio tali solida ratione facta est, ut nequaquam hanc tenens, in propositionem sub num. 27. ab Alex. VII. damnatam incidere censeatur. Si vero prædictum Horologium, cujus pulsationem per horæ dimidium horologia cætera præcessere, talis natura est, ut non soleat attendi, utpote inconstans, & male directum, tunc nequit idem Titius usque ad hujusmodi pulsationem comedens à jejunii violatione excusari, cum hoc sit veluti sequi opinionem unius Auctoris junioris, quæ nisi alicui solido fundamento nixa sit, ex damnata superius adducta propositione probabilis nequaquam censenda est. Ita cum Lacroix de jejun. sect. 7. num. 471. Sanc. L. 2. de matrim. disp. 41.

**CAS. II.** Capellanus die Sabbati Sancti missus à Parocho ad domos parœciæ benedicendas, ibi benedictionis beneficium elargiri recusat, ubi juxta consuetudinem quatuor saltem ova non recipit. Q. an sit ab omni culpa immunis.

Respondeo negat. Quamvis enim Capellanus Parochi vicem gerens in benedictione domorum parœciæ jus forte habeat, ut observetur loci consue-

P

tu-

tudo, ne si ipse sileat ab unius, & alterius exemplo Parochiani omnes successive consuetudinem Parocho favorabilem destruere censum nitantur, adhuc tamen cum ex una parte benedictionis beneficium elargiri recusans, ubi ova non recipit, præbeat rudi populo occasionem suspicandi in ipso, vel in Parocho turpæ avaritiæ vitium regnare, vel ova prædicta in Benedictionis pretium exigi, & ex altera parte alia non desint media, quibus decentius jura Parochi tueantur, dicendum est Capellanum agentem, ut in casu, esse nequaquam posse ab omni culpa immunem; cum præcipue ita agendo soleant etiam jurgia, & contentiones oriri, quæ cum difficillime possint omni culpa vacare, Altaris ministrum non parum decedent. Ita communiter.

CAS. III. Sacerdos in magno quodam oppido multæ existimationis vir, ut cuidam Concionatoris amico suo tempore Quadragesimæ numerum caperet auditorum, eundem supra meritum extollit: alium vero ex omni parte meliorem non parum deprimit. Q. quam culpam, quamve obligationem incurrat.

Respondeo cum distinctione. Si prædicta depressio zelum, ac mores Concionatoris depressi graviter tangit; tunc absque dubio Sacerdos noster gravem incurrit culpam, gravemque reparandi damna obligationem: cum fama, & honor alteri debitus graviter lædi, ac deturpari sine gravi culpa non possit, & Concionator depressus, qui omne jus habet ad propriam famam, honoremque servandum, ad eorundem etiam reparationem jus habeat, si in totum, vel in partem aliorum causa pereant. Si vero facta depressio tangit præcise eloquentiam, ac dicendi modum ipsius depressi Concionatoris, tum quamvis peccet Sacerdos contra veritatem, quia ut inquit casus, Concionatorem amicum supra meritum extollit, & alium deprimit ex omni parte meliorem, & contra charitatem, quam erga proximum nostrum servare tenemur; gravis tamen culpæ reus dicendus non est, nec ullam gravem incurrit justitiæ obligationem, præsertim cum concionator depressus apud cæteros eruditos ejusdem Oppidi viros nullam propriæ excellentiæ diminutionem passurus sit, sed aliquam dumtaxat apud vulgares, & indoctos, quorum judicium parum semper aut nihil existimatur. Ita communiter.

### M E N S E A P R I L I S.

CAS. I. Titius, qui à die Paschæ anni proxime elapsi 1739. confessus non est, cum in Paschate currentis anni 1740. nullius lethalis culpæ sibi conscius fuerit, absque ulla Confessione Sacramentali Sacram suscepit Eucharistiam. Q. an aliquod fregerit grave præceptum.

Respondeo neg. Tum quia Theologorum quamplurimum mens est annuæ Confessionis præceptum non nisi lethalis culpæ reos afficere, qua data opinione constat Titium nostrum nullius lethalis culpæ sibi conscium ex prætermissa in secundo Paschate Sacramentali Confessione nullum fregisse grave præceptum. Tum quia etsi illa admittatur opinio, quæ docet per positivum Ecclesiæ præceptum in c. Omnis utriusque sexus expressum, omnes Christi,

fideles sive conscii, sive non, culpæ lethalis ad faciendam semel in anno Sacramentalem propriæ conscientiæ expiationem teneri, adhuc dici potest Titium in casu nullum fregisse grave præceptum, cum laudatum cap. non importet, quod Confessio non sit differenda ultra annum à Confessione ultima incipientem, sed præcise, ut semel saltem singulis annis fiat, quod proinde locum adhuc habere non potest in casu nostro; si Confessio in Paschate currentis anni 1740. omissa fiat, antequam integer annus à Januario, vel Martio inceptus fluat. Ita cum Reinf. rr. 10. de præcep. Eccles. dist. 3. De Lug. de pœnit. disp. 15. sect. 8. n. 157. & 161. Vasq. q. 90. ar. 3. dub. 1.

CAS. II. Cum unus ex duobus Capellanis, quibus demandata est cura cujusdam Ecclesiæ Beatæ Virginis Mariæ miraculis claræ in Montanis dicatæ, tempore Paschali podagra laborans celebrare nequiverit, ad implendum Paschale præceptum, petiit ab altero, itemque Sacram Synaxim recipit. Q. an vere dictum præceptum impleverit.

Respondeo negative. Ratio est, quia quamvis Sacerdotes, qui in Paschate Missam celebrant, non teneantur Communionem de manu proprii Parochi sumere, vel in Parochiali Ecclesia celebrare; adhuc tamen quando vel noluit, vel ex aliquo impedimento prædicto Paschatis tempore celebrare nequeunt, censeri debent ut laici, & proinde ut præcepto sumendi Sacram Synaxim in c. Omnis utriusque sexus de pœnit. & remis. expresso satisfaciant, vel ad Parochialem Ecclesiam debent accedere, vel ut alibi eandem sumant, facultatem ab Ordinario, vel à proprio Parocho obtinere. Cum autem hujus obtentæ facultatis nulla fiat mentio in nostro casu, dicendum est Capellanum nostrum, qui impotens ob podagram celebrare Sacram Synaxim Paschali tempore à Socio Capellano recepit, nequaquam Paschalis Communionis præcepto satisfacisse. Ita cum Rosig. de Euch. q. 8. ar. 3. n. 12. Lug. dis. 18. sect. 1. n. 31. Girib. de Euch. cap. 8. n. 25.

CAS. III. Speciosus Juvenis postquam per aliquod temporis spatium per dulcia verba spem nutrierit cujusdam Viduæ maxime eum peroptantis in p onsum, à qua munera interim varia receperat, eadem relicta, aliam foeminam in uxorem duxit. Q. an licite possit recepta munera retinere.

Respondeo affirmative. Cum enim dulcia verba, quibus à Juvene nostro nutrita fuit per aliquod temporis spatium spes Viduæ eundem maxime peroptantis in sponsum, verba vero promissoria non supponantur, dicendum est munera ab eodem Juvene in casu nostro recepta non fuisse sponsalicias arrhas, sed pura dona provenientia à libera Viduæ voluntate ita agentis, ut Juvenem facilius ad matrimonium secum contrahendum alliceret. Hoc autem posito, cum nutrire præcise spem alterius non imponat onus dandi alteri, quod ab eo speratur, sequitur nullam contigisse in casu ex parte Juvenis justitiæ violationem, & perinde ad nullam teneri receptorum munerum restitutionem, sicuti à pari nulla oritur obligatio restitutionis in muliere illecta per munera ad actus turpes, quos receptis muneribus præstare recusat, quamvis cognoscat eadem munera sibi unice ad dictum finem ab alliciente præberi. Ita cum Barthol. à S. Fausto de Rest. disp. 27. quæst. 18. aliisque.

**CAS. I.** CUM quadam die Capellanus ruralis ex obitu matris magno animi mœrore gravatus esset, petiit à Parocho, an absque culpa posset tali die Horarum Canonicarum recitationem omittere, cui Parochus respondit affirmative. Q. an bene responsum fuerit.

Respondeo negative. Nam sicut à Divini Officii recitatione non excusatur corpore infirmus, quando absque gravi incommodo, & corporalis nocenti periculo præstare eandem potest; ita, cum recitatio prædicta magis spirituali animi solatio, quam ipsius gravamini valeat inservire, dicendum est Capellanum nostrum nullam habere impotentiam moralem, quæ eundem, & si magno animi mœrore gravatum à Canonicarum Horarum recitatione excuset. Et quamvis difficile quam maxime sit, ut mens tetra proxime secutæ mortis imagine oppressa, ac agitata prædictæ recitationi debita cum attentione, ac devotione incumbat, hoc non sufficit, tum quia distractio in casu foret involuntaria, tum quia per attentionem externam posset interioris defectum supplere. Ita cum Tambur. L. 2. in decal. c. 5. §. 8. n. 13. Sanch. L. 7. consil. 2. dub. 45.

**CAS. II.** Cum ruralis Clericus obtinuerit Beneficium, cujus annui fructus sexaginta librarum proventum non excedunt, certo credit ad nullam Divini Officii recitationem teneri. Q. an nimium; & plus quam par est, sibi indulgeat.

Respondeo affirmative. Cum enim jura dicentia, Beneficium dari propter officium, indistincte de quocumque sive pingui, sive tenui beneficio loquantur, ut patet tum cap. ult. de rescrip. in 6. tum sess. 9. Concil. Later. sub Leone X. tum vers. decl. in S. Pii Quinti hæc de re edita Constitutione, constat Clericum nostrum nimium sibi indulgere, dum credit se extenui sexaginta librarum proventu ad nullam Divini Officii recitationem teneri. Et quemadmodum qui sponte dat nomen militiae, vel pauperem ducit uxorem, tenetur militare, & uxorem alere, etiamsi quod congruum est pro militis sustentatione, & pro alenda uxore integre non receperit; ita qui tenet beneficium sponte acceptat, etiam ad illi adnexam quotidianam officii recitationem tenetur, quamvis fructus ab eodem beneficio provenientes honestæ nequaquam sustentationi sufficiant. Ita cum Cleric. c. 17. Er. in 17. Corr. de dispen. L. 2. c. 2. no. 52.

**CAS. III.** Ruralis Parochus Presbyterum in sua parocchia commorantem objurgat, quia, & si pluries invitatus, publicis supplicationibus, quæ quolibet mense fieri solent, interesse recusat. Q. an jure merito fieri possit prædicta objurgatio.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia quilibet Sacerdos vi characteris maximi, quo est insignitus, laicis præbere debet exempla pietatis, ac devotionis, omnemque, quantum in se est, auferre debet ab eorumdem oculis admirationis, ac scandali occasionem. Oppositum autem contingit in casu, in quo nullum certe pietatis exemplum; bene vero admirationis motivum præbet Sacerdos noster, dum pluries etiam invitatus supplicationibus illis interesse recusat, quibus omnes ferme laici præsertim in ruralibus locis magno

devotionis ardore assistere non dedignantur. Ut igitur idem Sacerdos agnoscat male se gerere, indeque ab errore suo se retrahat, locus jure merito datur prædictæ objurgationi, eo vel maxime quod si Sacerdos titulo Patrimonii sit ordinatus, memor esse debet peculiari quodam vinculo se se Ecclesie servitio mancipasse, cum talis servitutis necessitas, vel Ecclesie commoditas in causa fuerit, ut idem in ministerium Altaris assumeretur, ut ex Trident. sess. 21. cap. 2. de reform. compertum est.

**CAS. I.** Titius transactis nonnullis diebus à copula habita cum Francisca Vidua, eidem se esse ex ejus concubitu foetam asserenti potionem abortus causativam præbet, ex qua expulsio, & mors foetus ex alio amante quatuor ante menses concepti secuta est. Q. an possit à simplici Confessario absolvi.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia procuratio abortus, & mors inde secuta animati foetus ad reservatum casum non pertinent, nisi fuerint per se, & formaliter intentæ ab eo, qui potionem præbet ipsarum causativam; nam ad incurrandam ex causa homicidii etiam in abortu secuti casus reservationem, hæc duo simul concurrere necesse est, nempe, ut hominis occisio verè sequatur, & ut eadem per se intenta, ac volita dici possit, cum in reservatione non materialis, sed tantummodo formalis abortus consideretur. Porro in nostro casu licet ex potione, quam Francisca Titius præbet, expulsio, & mors animati foetus secuta sit; adhuc tamen dici non potest, quod hæc fuerit per se intenta, & formaliter volita à Titio, nam ignorans hic Franciscam quatuor ante menses fuisse ex alio amante foetam, nil aliud intendere potuit, quam abortum foetus inanimis, quem ex concubitu nonnullos ante dies cum ipso habitu eadem Francisca se concepisse assererat. Cum itaque abortus in nostro casu securus formalis dici non possit, utpotè per se à Titio nullo modo intentus, Titium nullam incurrisse casus reservationem, & proinde potuisse à simplici Confessario absolvi, dicendum est. De Lug. de just. disp. 3. sect. 6. num. 86. Tambur. L. 6. de præ. Decal. cap. 4. Cirib. de Sacram. penit. cap. 15. n. 67.

**CAS. II.** Postquam Berta externe tantum, & non ex animo sponsalia cum Titio inierit, eumque inde in sponsum ducere recusavit, hic nova sponsalia cum Caja ipsius Bertæ sorore contraxit. At ortis Cajam inter, & Titium dissidiis, hic iterum Bertam, quæ ipsum ducere parata est, in uxorem querit. Q. quid agendum, ut Titius & Berta rite inter se Matrimonium contrahant.

Respondeo. Ad Sacram Pœnitentiam pro opportuna dispensatione recurrendum fore. Ratio est, quia ex quo Berta externe tantum, & non ex animo prima sponsalia cum Titio inierit, perspicuum est subsistere quidem ista pro externo foro, pro interno vero non sic. Hoc autem positò, sequitur ex adverso nova sponsalia, quæ Titius cum Caja Bertæ sorore contraxit, invalida pro externo, valida vero pro interno foro esse judicanda, ita ut ex valido in primo casu, invalidum in secundo, & ex invalido in primo, va-

lidum in secundo inferatur. Cum igitur impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus cum Caja contractis sit mere occultum, & pro foro interno, in quo tantum ex dictis ipsa hæc sponsalia valida sunt, poterit Sacra Pœnitentiaria, quæ pro occultis impedimentis opportuna gaudet facultate, dispensationem pro casu nostro necessariam concedere, ut Matrimonium prædictum inter Titium, & Bertam rite, & valide celebretur.

**CAS. III.** Petrus, & Francisca ignorantes se esse in secundo gradu affines, Matrimonium inter se publice contraxerunt. Cum autem de prædicto impedimento, quod per plures annos occultum remansit, modo ipsi putati conjuges conscii facti sint, pro opportuno remedio Parochum consulunt. Q. quodnam Parochi debeat esse consilium.

Respondeo cum distinctione. Si prædicti putati conjuges, qui ignorantes se esse in secundo gradu affines, matrimonium inter se publice contraxerunt, de prædicto impedimento conscii facti non sint, nisi post lapsum decennii, Parochi consilium erit, ut ad Sacram Pœnitentiariam pro opportuna dispensatione obtinenda recursus fiat. Cardinalis enim Summus Pœnitentiarius ex concessione ipsi facta ab Innoc. XII. per Bullam, quam pro Pœnitentiariæ regula edidit, in matrimoniis contractis cum ignorantia impedimenti consanguinitatis, vel affinitatis in secundo gradu, potest revalidationem opportunam concedere, dummodo prædictum impedimentum occultum remanserit per decennium. Si vero impedimentum, quo dicti putati conjuges publice contraxerunt, remansit occultum per plures, quidem dispositione ejusdem Bullæ Innocentianæ supra laudatæ, ut ex Instructione hac de re edita à Sanctissimo Domino Nostro feliciter regnante die 2. O&. 1738. aperte videre est, & juxta has regulas debet consultus Parochus respondere.

#### MENSE JULII.

**CAS. I.** Sciens Parochus Titium rusticum, qui ne carceri propter debita traderetur, ad Parochialem Ecclesiam confugerat, dolo, & fraude fuisse ab eadem extractum, indeque à Curia Ministro captum, eidem Ministro sub excommunicationis censura præcipit, ut loco Sacro eundem Titium restitueret. Q. an Titio non restituto, detur locus in casu supradictæ censuræ.

Respondeo negative. Ratio est, quia cum post Sacræ Congregationis Decretum die 22. Dec. 1716. emanatum, & à Summo Pontifice Clem. XI. approbatum ille dumtaxat extractiones à loco immuni imposterum suffragentur, quæ aut violenter patrata, aut sub fide salviconductus secuta fuerint, sequitur Titium nostrum, qui dolo præcise, & fraude extractus fuit à Parochiali Ecclesia, ad quam confugerat, nulla amplius Ecclesiæ immunitate gaudere. Hinc idem Titius ita ab Ecclesia extractus, jure capi potuit à Curia ministro, quin hic ullam incurrat excommunicationis censuram, & proinde dicendum, Parochum ex ignorantia novi juris esse locutum, dum sub excommunicationis censuram Titium fore dixit loco Sacro restituum, cum vere ex supra laudato Decreto constet, Titio etiam non restituto, nullum dari locum in casu supradictæ censuræ.

CAS.

**CAS. II.** Cajus villicus, ut è Civitate venientem expectet dominum suum nobilem ac divitem quem in Parrinum pueri sibi recenter nati eligit, ipsius pueri baptismum ad trigesimum usque diem differt. Q. an dictum motivum à gravi culpa Cajum excuset.

Respondeo negative. Ratio est, quia cum ex una parte nulla alia parvulis præter Baptismum comparandæ salutis ratio relicta sit, & ex altera iisdem propter ætatis imbecillitatem infinita pene pericula impendant, facile intelligatur, ut inquit Cathechismus Romanus part. 2. de bap. num. 28. quam gravi culpa se se obstringant, qui eosdem infantes Sacramenti gratia diutius, quam necessitas postulat, carere patiantur. Hac de re tam ex Ecclesiæ praxi universim recepta, quam ex pluribus Synodis, & præsertim in prima Provinciali Mediolanensi, & in nostra Diocesana L. 2. cap. 2. de Baptism. statutum est, ne ultra nonum diem Baptismi Collatio differatur, cuius proinde statuti violatores prælaudata Synodus nostra latæ excommunicationis pœna perstringit. Nisi igitur Villicus noster ex ignorantia legis, & praxis universim receptæ à gravi culpa excusetur, neque motivum expectandi dominum, quem in Parrinum elegit, ipsum à gravi culpa excusat. Ita cum Suar. disp. 31. sect. 1. Diana part. 9. tract. 6. resol. 1. Leand. disp. 1. quæst. 13.

**CAS. III.** Cujusdam oppidi Parochus Cajo, qui jam promisit se daturum centum libras Xenodochio, antequam à Xenodochii Rectoribus eadem promissio fuerit acceptata, suavit, ut dictam pecuniam Parochiali Ecclesiæ donaret, ut factum est. Q. an talis donatio valeat.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia quamvis promissio facta in causâ piæ favorem valida, & irrevocabilis ab aliquibus censeatur, etiamsi nulla interveniat Promissarii acceptatio, adhuc tamen probabilius est nullam oriri in promissione prædicta sive naturalem, sive civilem obligationem, quamdiu ejusdem promissionis acceptatio non accedat; cum omnis promissio per se respective sit juxta cujusvis contractus naturam, qui sine mutuo duorum consensu consistere numquam potest. Cum itaque promissio facta Cajo in favorem Xenodochii neque dici possit acceptata à Deo quantum ad debitum, cum non supponatur ipsi Deo immediate facta per modum Voti, neque, ut inquit casus, acceptata fuerit à Rectoribus Xenodochii, dicendum est potuisse pro libito eundem Cajum absque alicujus injuria sive ex se, sive ex alterius suasionem easdem libras centum, quas Xenodochio dare proposuit, voluntate mutata Parochiali Ecclesiæ donare, & consequenter donationem in casu factam valere. Ita cum Sporer de prom. cap. 2. sect. 2. num. 39. & seq. Lug. disp. 23. de just. sect. 3. num. 35. & seq. Sbogar. tract. 138. n. 4.

#### MENSE AUGUSTI.

**CAS. I.** Puella honesta ex ira gravem alapam Clerico ad ejus sinum mallet extendenti inflixit, cum tamen an vere eam tangere vellet, necne, certo non sciret. Q. an excommunicationis pœnam incurrerit.

Respondeo negative. Ratio est, quia ad incurrendam excommunicationis cen-

cen-